



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Deus calamitatu[m] omniu[m] caussa prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

commotus, ut erat compositissimæ ad divinam voluntatem mentis, & lepidi etiam inter tristia ingenii, exscenso equo, expansisque ad trabes ardentes manibus: calefaciamus, inquit, commodus enim est omni tempore ignis, ætati præsertim senili, & à crassioribus lignis. Tantum incendiariorum crimen Deus permittere voluit: si nolisset, cogitationes eorum & consilia aliò divertisset. Deinde causam permittendi optimam habuit, exercitationem patientiæ, & tranquillitatis exemplum singulare in D. Remigio. Denique accessit voluntas cooperandi, citra quam incendiarii neque actum voluntatis elicuissent; nec manus movissent, ad faces & paleam flammis ministrandam; nec flammæ ipsæ vim urendi habuissent magis, quàm in fornace Babylonica. Totum itaque istud incendium à Deo fuit, licet peccata intervenerint.

IX. Clarissimè ad mentem meam,
Deus calamitatum omnium & solidissimè, partes Divinæ
caussa prima. voluntatis in hominum peccatis, alteri nocentibus, demonstrat noster
 Theo-

Theophilus Bernardinus libro II. de Perseverantia cap. 4. hunc ferè in modum. Cogitandum eos, qui quacumque nos ratione impetunt & offendunt, duas velut personas exhibere: unam, quàm obesse nobis volunt; alteram, quàm obesse possunt. Quàm injustè nocere volunt, hominum personam gerunt, malorum, & peccantium, divinæque voluntati peccando contrariantium. Quàm nocere possunt, instrumenta sunt Dei, concursus potentiaæ suæ, ad nostram castigationem vel exercitationem, perversæ voluntati accommodantis. Itaque ipsi malorum nostrorum sunt solummodò causa secundaria, & ut loquimur, instrumentalis: Deus autem est causa prima & motrix. Prorsus ut in pictoria artifex se habet erga penicillum, & in fabрили operarius erga malleum. Nec refert quod homo, qui peccato suo aliis noxius est, utatur etiam voluntate sua, sponteque ac liberè noceat: nam & ipsam malam hominis peccantis voluntatem, etsi Deus prohibet ac damnat, permittit tamen, & permissam ad opus suum adhibet, instar instrumenti.